



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

XCVIII. Ioachazes, sive Sellum, Eliacimus seu Ioakimus; Ioachinus seu
Iechonias, reges Judæ impij, miseri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

coronæ per adversa computantur. *Hic est habitus innocentie, hæc palmata vestis, hoc curru triumphans,* ait Tertullianus.

NARRATIO XCVIII.
**JOACHAZES, SIVE
 SELLUM; ELIACIMUS SEU
 JOAKIMUS, JOACHINUS SEU JECHO-
 NIAS; REGES JUDÆ IMPIJ, MISERI.**
 4. Reg. 23. 24. 2. Paral. 26.

Ab anno M. 3425. ante Christum. 628. ad annum
 Mundi 3436. ante Christum 617. quo Iecho-
 nias captivus Babylonem adductus.

Iosia terris subducto, universa, quod retulimus, felicitas Hebræa corrui. Primas turbas dedit *Joachazes*, filius Iosia secundo genitus, qui factione populari (sive quod animos promissa religionis libertate corruerit; sive quia militaris ejus terrocia, patriæ præsidio contra hostes futura credebatur) regnum inauspicatum invasit, anno ætatis vigesimo tertio, excluso per injuriam *Eliacimo*, fratre majore, viginti quinque annos nato. Exordio statim dominationis nuntium DEO, paternæque pietati remisit, populoque nihil admodum religionis sinceræ, præter externam speciem præferenti, dux ad omnia scelera fuit. Et quia metus, perpetuus comes est mentis malè conscia, *Joachazes* veritus, ne vel intestinis seditionibus à fratribus, [*Eliacimo & Mathania*, postea *Sedecia* dicto, natu minimo] vel

vel externis armis ab Ægyptijs peteretur , cœpit
 arare , crudeliter , unde unde potuit , pecunias ,
 belli nervum corradere . Sed nulla est diuturnitas
 in regno iniquè parto , post trimestre dominatûs
 fratium , *Necho* , Rex Ægypti indignè ferens , Re-
 gem sine sua auctoritate , solio sibi tributario im-
 positum , magnis iterum cum copijs Iudææ infun-
 ditur , prælioque cum *Ioachaze* confertô , victoriam
 reportat ; non incruentam tamen ; capûtque belli
 vincitum in Ægyptum abducit . id , quod Ezechiel
 cap. 19. vers. 4. indicare videtur : *Et audierunt de eo*
 [*Ioachaze*] *gentes, & non absque vulneribus ceperunt eum :*
& adduxerunt eum in catenis in Terram Ægypti. Alij
 scribunt , *Ioachazem* non vi , sed dolo , in potesta-
 tem hostium venisse , quippe *Nechaoni* post com-
 missam infeliciter cum *Babylonijs* [quos etiam *As-*
syrios vocant , ob horum imperium ad illos trans-
 latum] pugnam , redeunti per *Palæstinam* , occur-
 sisse *Eliacimum* , & tanquam ad arbitrum , fratris
 injuriam detulisse : opem , non sine muneribus ,
 majorum exemplô postulâsse : vectigalem se , si
 sceptrô sibi debitô donaretur , pollicitum . *Necha-*
onem per simulationem componendæ controver-
 sia , *Ioachazem* quoque evocâsse in urbem *Reblam* ,
 seu , quod aliqui putant , *Reblatam* , [*Galilæi tractus*]
 quem ut intra casses habuerit , coniecisse in vincula ,
 & in Ægyptum amandâsse . Ut ut sit ; certum est ,
Ioachazem captivum abstractum , squalore & mœ-
 rore obrutum , extremum in Ægyptio carcere spi-
 ritum exhaustisse .

Itaque subrogatus est *Eliacimus* , quem mox im-
 mutatô vocabulô , Rex Ægyptius *Ioakimum* dici jus-
 sit .

lit. Is ut apud *Pharaonein* [cognomentum est Nechaonis] graciosus esset, acerbis exactionibus plebem vexavit, auróque & argentó per fas & nefas coactó, se, regnúmque suum superbo tyranno subtravit.

Diutius ille quidem, fratre suó *Ioachaze*, rerum est potitus, sed pari, vel etiam majori crudelitate. Undecim enim annorum Rex, sed potentioris Regis [Nabuchodonosoris] stipendiarius, objurgatorem ac vastationis imminentis Vatem *Vriam*, DEI Prophetam ex *Ægypto*, quò profugerat, retractum, impiè trucidat; cadáverque trucidati, super plebejorum tumulos abjectum, à prophetarum sepulcrali societate discludit. Quà tamen infamià funeris neque Prophetam obscuravit; quem tantopere profectò posterì non scirent, nisi latere Rex illum etiam in cineribus, laborasset; & ille vulgus præterea cadaverum ignotorum nobilitavit; cum eorum tumulos promiscuos, omnique nomine carentes, velut pyramis quædam, & epitaphium gloriosum, deinceps insigniret ac coronaret, *Vriam Prophetam superinjectus*. Ita nimirum frequenter, dum obtegere scelera conamur, illustramus.

Cœpit ea tempestate regnum Judaicum miserabiliter inter *Ægyptios* & *Babylonios* [seu *Chaldaeos*] velut inter *Scyllam* & *Charybdin* jactari. Hæc enim Principum fors est, qui potentiores intermedij sunt, ut pax unius, sit bellum alterius. Non placuit Nabuchodonosori, Regi *Babylonio*, tantum sibi *Ægyptium* sumpsisse, ut Reges suo arbitrio conflatos & exsufflatos, gauderet. Irritabat quoque superbi hominis iram, societas armorum & ani-

& animorum conjunctio, quam Ioakimus cum Pharaone Babyloniorum hoste perpetuo, [cujus operâ ad regnum pervenit] injerat. Venit igitur insperatus, Ierosolymam milite cingit, eamque brevi, quod ad obsidionem ferendam minimè parata esset, seu vi, seu fraude, seu terrore capit, Regemque catenis vinctum cum parte vasorum, & electis proceribus [in quibus *Daniel* cum socijs fuit] Babylonem transportat. Tandem miseratione commotus, [nam incertæ sunt mortalium vices; & Reges præcipuè, adversa fortuna sui miserabiles facit] eundem in regnum restituit, indicto grandi, & supra spoliati vires tributò. Hoc tribus annis ægrè persolvit; quarto in Ægyptium pronior, si qua inde acerbæ lenimenta fortunæ inveniret, rebellavit. Fluxa jam Ægypto fides, & robur invalidum. Rediit Nabuchodonosor, & cruorem spirans, indefensum capit, & anno regni undecimo interfectum atque inséputum abijcit, tristi regis sortis spectaculo. Sic illi ab Hieremia propheta denuntiatum c. 22, *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & projectus extra portas Hierusalem.* in modum cadaveris asinini, feris & volucribus depascendi. Flos juventutis Ierosolymitanæ unà cum Rege interfectus est. Perfidie *Ioakimus*, & crudelitatis pœnas dedit; alteras debuit rupto cum Babylonij fœderi: alteras *Uria* Vati sceleratè occiso, sceleratiùs honore sepulcri, spoliato. Hic idem Ioakimus Ieremiam quoque, sanctissimum Prophetam, indignis exagitavit motibus. Quem Regem, omnis impietatis juratum mancipium satis constat, à morte *notis* in cadavere *magicis* passim dispunctum, & insignitum fuisse re-

H h

per-

pertum : prodidit seque post vitam, cujusnam disciplina fuerit ante mortem.

Substitutus Ioakimo, filius *Ioachinus*, parum nomine diversus à nomine genitoris: omni verò regni tempore [quod trium mensium, ac dierum fuit decem] moribus, & institutò patri similis, & Idololatra. Porro *Ioachinus* hic, est is, quem omnes passim, & cum his Matthæus Evangelij conscriptor etiam *Iechoniam* appellant. Hunc admodum adolescentem [octavum & decimum agebat annum] non passa est divina Nemesis diutius paterna impietatis sequi vestigia; incitavit in eum Regem Babylonium, ut Regium, quod nuperrimè dederat, beneficium auferret ingrato; imminentem Ieremià cladem nequicquam prænuntiante. Obsidet igitur *Nabuchodonosor* [qui postea *Magnus* dictus est, *Nabalsaris* seu *Nabuchodonosoris* senioris filius] Hierosolymam, veritus ne *Ioachinus* memor patris *Ioakimi*, per injuriam occisi, regionem ad defectionem percelleret; cui cum resistendo *Ioachinus* non esset, datis obsidibus, cavit barbaro de fide servanda, tributòque pendendo. Sed *Nabuchodonosor* pactis non stetit; [quod in idolorum cultore minus mirandum] simul enim Urbem, quam amici specie ingressus est, in potestate habuit, vim & animum hostilem exeruit. Capit Regem cum matre & uxoribus, omnique gaza; & siquid in viris dignum irà, aut servitute restabat, Babylonem abducit. Inter captivos fuere Principes regni, tribuní militares, & fortissimus quisque, unà cum Sacerdotibus, Sacris Vatibus, populique decem milibus. Rex ipse *Iechonias* annos omnino septem ac triginta, degens in

carce
victi
ad m
Cau
lacho
stodia
his g
Anim
at, &
flectit
Iechon
tati re
ficur &
in exp
tum o
le est,
nitent
attigi
regno
Ca
ge da
Sedeci
mi fra
fella
nihil a
tidie
fame
teis to
Qua
ti Sw
le: si
lacrim
car-

carcere Chaldaico, precario, mendicique sorte,
 victitavit: donec vix serò tandem, caput illotum,
 ad nuntium emissionis, ac libertatis allevaret.
 Causa liberationis fertur familiaritas cum *Evilmero-*
lacho Nabuchodonosoris filio [quem in eandem cu-
 stodiam à patre conjectum fuisse Hebræi, & cum
 his graves scriptores tradunt] in vinculis contracta;
 Animos enim non rarò similitudo fortunæ concili-
 at, & experientia miseriarum ad misericordiam in-
 flectit. *Evilmerodachus* de carcere ad solium evectus,
Iechoniam quoque exemit è custodia, & regiæ digni-
 tati restitutum, inter primos amicos coluit. Ejus salus,
 sicut & *Sedecia*, in ambiguo est; diu toleratus carcer,
 in expiationem criminum, & Danielis præsentia:
 tum divina circa *Nabuchodonosorem* prodigia, credibi-
 le est, meliorem ei mentem, & præteritorum pœ-
 nitentem injecisse. Juxta Chronologiam Saliani,
 attigit ætatis annum undesagesimum; ab adito
 regno quadragesimum primum.

Cæterum ei dejecto, successor à Babylonio Re-
 ge datus est *Matthanias*; immutato postea nomine
Sedecias appellatus; Is *Iechonia* fuit patruus; *Ioaki-*
mi frater, ac *Iosia* Regis filius: Rex constitutus mi-
 sellæ & exhaustæ plebis; à patrijs & ipse degener,
 nihil autem à fraternis institutis. Miser, qui quo-
 tidie salutaria denuntiantem *Jeremiam* Propheten,
 fame, siti, nervô, taureis, cænôque lutulentis pu-
 teis torquere maluerit; quàm audire cum profectu.
 Qua proinde Regis contumaciâ factum est; ut sicuti
surdo prius cantabantur Oracula, tanquam *fabu-*
le: sic *Cæco* postea *Tragœdia* daretur in catenis; sine
 lacrimis *proprijs* [quippe raptis jam oculis] sinéque

lamentis *alienis*. Vix unum enim inveniebat, sub
causâ dolentem: eò, quòd retinerent omnes me-
moriâ, in vectæ per eum regno cladis; ever-
sæ religionis; rupti fœderis; violatiquæ jurisjurandi:
quod interposito veri DEI nomine, Babylonio re-
gi ediderat. Nec enim desleri dignus est, qui sce-
lere suo facit, ut nemo, nisi flere, possit. Sed de
hoc Rege in sequenti narratione plura.

NARRATIO XCIX.
SEDECIAS JOSIÆ
FILIUS, REX JUDÆ
ULTIMUS, IMPIUS, PERJU-
RUS, PERFIDUS, CA-
LAMITOSUS.

4. Reg. 25. lib. 2. Paral. c. 36. Jerem.
39. 40. 41.

Ab anno M. 3463. ante Christum 617. ad annum
Mundi 3446. ante Christum 607. quò annò
Jerosolyma cum Rege suo Sedecia
capta est.

COrruunt tandem regna, quæ in virtute non
fundantur. Narravimus, binis Assyriorum
seu Babyloniorum in Judæam irruptionibus,
præter deprædationes ac mala cætera, captivorum
insuper abactiones [quas Transmigrationes nomi-
nant] in Babylonicam servitutem esse factas. Ab-
actione quidem prima, *Ioakimum*, Solymorum Re-
gem,